



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Art. III. An Beati Deum comprehendant, vel saltem, de potentia absoluta,  
ipsum comprehendere possint?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

perfectiorem; & perfectior voluntas, cum eodem habitu charitatis, & spei, producit actus intensiores, & perfectiores illarum virtutum, quam alia minus perfecta: Ergo similiter, intellectus perspicacior, cum æquali lumine gloriæ, perfectius Deum videbit, quam alter qui est minoris perspicaciæ, & activitatis.

19. Confirmatur secundò: Intellectus perfectior, cum æquali lumine gloriæ, potest magis vel minus perfectè conari ad actum: Ergo & elicere perfectiorem visionem. Consequentia videtur manifesta. Antecedens probatur. Habitus subordinantur conatui potentiæ, & ab illa applicantur ad agendum: Ergo intellectus perfectior, cum æquali lumine gloriæ, potest magis vel minus perfectè conari ad actum.

20. Ad objectionem patet solutio ex suprâ dictis: Major enim est vera, quando causâ perfectior influunt per se ut perfectior, vel ut habet virtutem proximam & immediatam in effectum; secus autem quando concurrunt tantum secundum virtutem radicalem, & major ejus perfectio, materialiter se habet, & per accidens, ut contingit in proposito. Unde patet disparitas ad exempla adducta: Nam species, & lumen, proximè & immediatè influunt in visionem, & habent vim proximam ad agendum, saltem partialem & incompletam. Idem servatâ proportionem de pictoribus inæqualis industria, vel inæqualibus instrumentis utentibus, dicendum est. Intellectus autem creatus, solum radicaliter concurrunt ad visionem beatam, nec confert seorsim activitatem & virtutem proximam ad agendum, sed suam quam habet, subjicit lumini gloriæ, ut elevabilem ab ipso; sicque redditur una tantum virtus proportionata, & proxima ad visionem.

21. Ad primam confirmationem dicendum, in actu fidei duo esse distinguenda; primum est apprehensio objecti credibilis; secundum assensus supernaturalis, quo homo credit mysterijs revelatis. Primus actus est naturalis, ac proinde potest esse perfectior in perfectiori intellectu. Secundus vero est supernaturalis, unde non commensuratur perfectioni naturali intellectus, sed intentioni, & perfectioni habitus, vel auxilij supernaturalis, à quo immediatè procedit. Nihil etiam confert naturalis perfectio voluntatis, ad actus supernaturales spei, & charitatis; sed tota etiam illorum perfectio mensuratur ab intentione, & perfectione habitus, vel auxilij supernaturalis, eam elevantis ad operandum.

21. Ad secundam confirmationem, nego. Antecedens, conatus enim potentiæ non est aliquid antecedens actum, sed ipse actus ut emanans à suo principio; & ideo sicut habitui tribuitur esse principium actus, ita & conatus ad actum. Unde sicut habitus supernaturales dant potentiis posse operari, quia dant eis virtutem, & efficaciam proximam; ita dant eis posse conari ad operandum.



## ARTICVLVS III.

An Beati Deum comprehendant, vel saltem, de potentia absoluta, ipsum comprehendere possint?

## §. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

PRO resolutione hujus difficultatis diligenter observandum est, nomen comprehensionis ex comprehensione corporea fuisse ad spiritualemente translatum: Unde sicut in rebus corporeis comprehensio sumitur dupliciter, vel largè, prout opponitur infectioni: quo sensu, quando quis latronem quem insequitur apprehendit & capit, etsi non totam teneat, sed partem, ipsum dicitur comprehendere: vel strictè, pro inclusione & continentia, quâ unum corpus quantum continet intra se totum aliud corpus; ut cum manus ita continet totum aliquem globum, ut nihil ejus sit extra illum. Ita similiter in rebus spiritualibus comprehensio duobus modis usurpari solet, primo largè & improprie, pro affectione & obtentione seu possessione ejus quod desiderabatur, ut constat ex illo Apostoli 1. ad Corinth. 9. Sic currite ut comprehendatis, & ex illo ad Philipp. 3. Sequor autem si quomodo comprehendam. Et in hoc sensu beati appellantur comprehensores. Et Nazianzenus orat. 34. dixit, *Comprehensionem divinæ essentia, præmium esse omnium beatorum.* Et hoc modo (ut observat D. Thomas hic art. 7. ad 1.) comprehensio est una de tribus dotibus animæ, quæ respondet spei, sicut visio fidei, & fructus charitati. Secundò sumitur comprehensio strictè & proprie, pro cognitione objecti unde quæque perfecta, id est adæquata cum objecti cognoscibilitate, per quam objectum cognoscitur, quantum cognoscibile est. Et de comprehensione sic accepta loquimur in præsentem, dum inquirimus, an Beati Deum comprehendant, vel saltem de potentia absoluta ipsum comprehendere possint?

D In cujus difficultatis resolutione: In primis est error Eunomii, & aliorum Anomæorum, qui (ut suprâ ostendimus) eò dementia pervenerunt, ut comprehensivam Dei cognitionem sibi arrogarent, & tantam Dei notitiam quantum Deus de seipso habet, se habere jactarent. Secundò est error Augustini de Roma, Episcopi Nazarenus, qui asserbat animam Christi videre Deum tam clarè & intensè, sicut Deus ipse seipsum, quod est ipsum comprehendere. Tertio est aliorum Theologorum sententia, qui licet beatos Deum de factò non comprehendere fateantur, existimant tamen de absoluta potentia fieri posse, quòd comprehendatur Deus, vel aliquod ejus attributum, ab aliqua creatura: quia (inquiunt) potest Deus infundere ipsi lumen gloriæ infinite intensum, vel suam intellectionem ei unire; in quibus casibus ab intellectu creato comprehenderetur. Huic sententiæ favet Vazquez hic totâ disp. 52. ubi respondens locis Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, quibus incomprehensibilitas Dei ostenditur, affirmat non esse de fide quòd Deus sit incomprehensibilis in ordine ad absolutam Dei potentiam, sed solum quòd sit incomprehensibilis, respectu cognitionis naturalis creaturæ; sicut Deus dicitur in Scriptura invisibilis, & ineffabilis: tamen constat quòd solum est invisibilis cognitioni naturali, non verò supernaturali, & beatifica.

## §. II.

*Statuitur prima conclusio, et Deum à beatis de facto non comprehendi, ex Conciliis et SS. Patribus demonstratur.*

**D**ico primò: Beati de facto Deum non comprehendunt. Conclusio est certa de fide, ac definita in Concilio Basileensi sess. 22. ubi prædicta propositio Augustini Romani, afferentis animam Christi videre Deum tam clarè et intensè, sicut Deus seipsum, ut erronea proscibitur. Cui definitioni maxima fides adhibenda est, quia damnatio illa facta fuit anno 1435. antequam anno 1437. dissolveretur Concilium à Pontifice, & fuit approbata per bullam Nicolai V. qui successit Eugenio IV. ut habetur in Summa Conciliorum, in fine Concilij Basileensis.

Docetur etiam nostra conclusio passim à SS. Patribus, Anomæorum stoliditatem & insaniam refellentibus, præsertim à Chrysofotomo, in homilij de incomprehensibili Dei natura, Basilio libro contra Eunomium, Augustino serm. 38. de verbis Domini cap. 3. ubi sic ait: *De Deo loquimur, quid mirum, si non comprehendis? Si enim comprehendis, non est Deus. Sit pia confessio ignorantia, magis quam temeraria professio scientia. Attingere aliquantùm mente Deum, magna beatitudo est: comprehendere autem omnino impossibile.* Idem docet Gregorius Magnus libro 18. moralium cap. 28. versis finem, his verbis: *Videbimus igitur Deum etc. non tamen ita videbimus, sicut videt ipse seipsum. Longè quippe distans videt Creator se, quam videt creatura Creatorem. Nam quantum ad immensitatem Dei, quidam nobis modus præfigitur contemplationis: quia eo ipso pondere circumscribimur, quo creatura sumus.* Bellè etiam Cyprianus, vel Author de cardinalibus Christi operibus, apud Cyprianum, loquens de Seraphim qui stabant super Thronum Dei, & circa illum volabant, Isaiæ 6. hæc scribit, *Statu eternitatis immobilitatem demonstrant, volatu verò altitudinem eius, sic in superioribus elatam, ut quantumlibet ad cor altum homo ascendat, exaltetur Deus, et comprehensionis importunitatem evadat.*

Insignis quoque est locus ex S. Epiphanio hæresi 70. desumptus: ibi enim ait Deum & ὁρατὸν, id est aspectabilem esse, & simul ἀόρατον, id est minimè aspectabilem; quia licet à beatis videatur, ab ipsis tamen nequaquam comprehenditur; nec quantum in se visibilis est, conspicitur. Quod subinde duplici exemplo declarat: *Veluti si quis per angustum foramen cælum aspiciat, ac dicat: Video cælum: non utique mentietur; videt enim revera cælum. Quòd si quis prudenter ei dicat, non vidisti cælum, neque iste mentietur. Tam enim qui ait vidisse, non mentietur, quam qui ei dicit, non ipsum vidisse, vera loquitur. Quippe non vidit illius exporrectionem, neque latitudinem.* Subijcit aliud exemplum ad rei declarationem evidentius. *Sepe (inquit) accidit, ut ex alto montis vertice mare prospiciamus. Quòd si nos illud vidisse dicamus, non mentiemur: neque si contradixerit aliquis, ac vidisse nos negaverit, non ille falsum dicit: propterea quod, cum homo sit, quòd illius latitudo, aut longitudo pervingat; quamque alti sint voraginis illius recessus, sed nec illius effecta pervidere potest.*

Hac autoritate & doctrinà Epiphaniij, facillè intelliges & expones plura Patrum Græcorum, præ-

**A** fertim Chrysofotomi & Basilij, testimonia, quibus ex una parte, beatos Deum facie ad faciem, & non solum per fidem, sed etiam per speciem videre testantur; ex alia verò, dum contra Anomæos disputant, Deum à nullo intellectu creato, etiam angelico, videri affirmant. Nam quando claram Dei visionem beatis concedunt, de cognitione quidditativa & intuitiva loquuntur; cum verò à nullo intellectu creato, etiam angelico, Deum videri asserunt, de visione & cognitione comprehensiva Dei (qualem Anomæi sibi arrogabant) intelligendi sunt; ut S. Thomas hic art. 1. ad 1. exponit Chrysofotomum, dum homil. 14. in Joan. ait: *Ipsum quod est Deus, non solum Prophetæ, sed nec Angeli viderunt, neque Archangeli.* De quo supra disp. 1. art. 2. §. 2. Hæc conclusio magis patebit ex dicendis in sequenti, ubi rationem fundamentalem divinæ incomprehensibilitatis exponemus.

## §. III.

*Stabilitur secunda conclusio, et ostenditur ratione D. Thomæ, nullum intellectum creatum posse, etiam de potentia absoluta, Dei essentiam comprehendere.*

**D**ico secundò: Nullus intellectus potest, etiam de absoluta potentia, Dei essentiam comprehendere.

**C** Probatur conclusio ratione fundamentali, quam insinuat D. Thomas varijs in locis, præsertim in 3. sent. dist. 14. qu. 1. art. 2. quæstiunc. 1. & in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 3. & ad Annibaldum distinctione eadem art. 1. ad 2. his verbis: *Quando essentia rei cognoscitur, secundum modum sue cognoscibilitatis, tunc res comprehenditur: sed hoc in visione Dei esse non potest, quia claritas divina essentia, per quam est cognoscibilis, est infinita: modus autem intellectus creati videntis non potest esse infinitus: et ideo non comprehenditur, non quia totum non videat, sed quia totaliter non videt: videt enim finitè quod de se est visibile infinitè.* Et hic art. 7. in solutione argumentorum clarè fatetur, totum Deum videri & cognosci à beato, absque eo quòd aliquid Dei remaneat non visum & non cognitum, sed inquit non videri totaliter, totalitate se tenente ex parte cognoscentis; quia non tantà perfectione vel intellectualitate activà Deum cognoscit, quanta est intelligibilitas seu cognoscibilitas Dei.

**E** Ex his sic licet arguere: Tunc aliquid comprehenditur, quando ita perfectè cognoscitur, sicut cognoscibile est: Sed licet Deus totus à beatis videatur, ab illis tamen non videtur, nec videri potest vel cognosci ita perfectè, sicut ex suis meritis petit cognosci ex parte modi cognoscendi: Ergo nec comprehenditur, nec potest comprehendi ab intellectu beatorum. Majorem probat S. Doctor primò ex definitione comprehensionis data ab Augustino epist. 112. cap. 9. ubi dicit quòd *totum comprehenditur videndo, quòd ita videtur, ut nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumspici vel circumscribi possunt.* Tunc enim (subdit S. Thomas) *fines alicujus circumspiciuntur, quando ad finem in modo cognoscendi illam rem pervenitur.*

Secundò illam probat hoc exemplo: Conclusio demonstrabilis, quia petit cognosci modo demonstrativo, non nec comprehenditur, si opinativè tantum cognoscatur, esto nulla pars illius ab opinante ignoretur: Ergo ad rei comprehensionem

exigitur commensuratio sive adæquatio cognitionis cum objecto, nedum quoad formalitates & prædicata cognita, verum etiam quoad modum passivæ cognoscibilitatis; id est quod cognoscatur eo modo quod ex proprijs meritis petit cognosci.

Quod magis explicatur: Plus enim distat modus cognitionis infinitæ, à modo cognitionis finitæ, quam modus demonstrationis, à modo opinativo: Sed cognoscibile demonstrativè, non comprehenditur à cognoscente illud opinativè: Ergo cognoscibile modo infinito, non potest comprehendì à cognoscente illud per finitam cognitionem.

Minor verò quæ asserit implicare contradictionem, quod intellectus creatus cognoscat divinam essentiam, quantum est cognoscibilis ex parte modi cognoscendi, ostenditur primò. Tunc aliquid cognoscitur quantum est cognoscibile in modo cognoscendi, quando modus cognoscentis est modus objecti cogniti, ut explicat D. Thomas hic art. 7. ad 3. Sed implicat modum intellectus creati cognoscentis, esse vel adæquare modum Dei ut cognoscibilis: Ergo implicat intellectum creatum cognoscere divinam essentiam, quantum est cognoscibilis ex parte modi cognoscendi.

Secundò, Deus cum sit infinitæ immaterialitatis, est etiam infinitæ intelligibilitatis: Sed nulla cognitio intellectui creato possibilis, esse potest infinita per essentiam in ratione cognitionis: Ergo nullus intellectus creatus potest Dei essentiam cognoscere, quantum cognoscibilis est, ex parte modi cognoscendi.

Tertiò, Modus cognitionis divinæ non excedit, sed tantum adæquat modum cognoscibilitatis Dei: Atqui nulla intellectio possibilis intellectui creato, potest adæquare modum cognitionis divinæ: Ergo nec modum passivæ intelligibilitatis divinæ essentia.

Denique, Quia divina cognoscibilitas fundatur in summa actualitate, quæ nulli creaturæ potest communicari, non est dabilis creatura cujus intelligibilitas adæquetur cum intelligibilitate divina: Atqui etiam activa intellectualitas sequitur ad immaterialitatem; nullaque virtus cognoscitiva, vel actualis cognitio creata, potest adæquare immaterialitatem divinam: Ergo non est dabilis creata cognitio, cujus modus adæquetur cum modo cognoscibilitatis divinæ.

#### §. IV.

##### *Solvuntur objectiones.*

28. **O**bjicies primò contra primam conclusionem: Anima Christi Deum comprehendit: Ergo Deus ab aliquo beato de facto comprehenditur. Consequentia patet, Antecedens probatur primò ex Isidoro cap. 2. in Exodum, ubi sic ait: *Sola sibi integrè nota est Trinitas, & humanitati suscepta.* At hæc non nisi de cognitione comprehensiva intelligi possunt, cum integra Trinitatis cognitio, competens ipsi Trinitati, vera sit Deitatis comprehensio: Ergo Anima Christi Deum comprehendit.

Secundò probatur idem Antecedens. Anima Christi per scientiam beatam videt omnia quæ Deus cognoscit scientiâ visionis: Ergo talem scientiam comprehendit. Antecedens est D. Thomæ 3. p. quæst. 10. art. 2. ad 2. ubi ait: *Anima Christi scit omnia quæ Deus in seipso cognoscit*

**A** per scientiam visionis. Et in resp. ad 3. asserit quod scientia animæ Christi, quam habet in verbo, parificatur scientiæ visionis, quam Deus habet in seipso, quantum ad numerum scibilium. Consequentia verò videtur manifesta: Sicut enim Anima Christi comprehenderet scientiâ simplicis intelligentiæ, si attingeret omnia possibile ad quæ extenditur: ita comprehendit scientiam visionis, si videat omnia & singula ad quæ terminatur; siquidem ad comprehendendam aliquam scientiam, sufficit attingere illam, & omnia objecta ad quæ se extendit.

Respondeo negando Antecedens: Ut enim supra ostendimus, de fide certum est, & in Concilio Basileensi definitum, animam Christi non videre Deum tam clarè & intense, sicut Deus seipsum videt, subindeque ipsum non comprehendere. Unde scitè Alberus Magnus in 3. dist. 14. art. 1. *Solus Deus comprehendit se, si enim diceremus eum concludi comprehensione capacitatis animæ Christi, videtur mihi quod hoc redundaret in blasphemiam deitatis Christi.*

**B** Ad primam probationem in contrarium respondeo ex D. Thomæ 3. p. quæst. 10. art. 1. ad 1. Isidorum hoc dixisse propter excellentissimam cognitionem convenientem animæ Christi Domini, quæ nulli alteri creaturæ est communis, integraque appellatur; non quia sit comprehensiva Dei, nec maxima inter posibles de potentia Dei absoluta, sed quia est suprema inter posibles, de lege statuta. Quemadmodum anima Christi dicitur Ioan. 1. plena gratiâ habituali, non quod non sit possibilis major & intensior gratia, de potentia Dei absoluta, sed quia de lege ordinaria, major & intensior dari nequit.

**C** Ad secundam, concessio Antecedente, nego Consequentiam; ad cujus probationem nego pariter Consequentiam & paritatem: nam scientia simplicis intelligentiæ habet pro objecto adæquato & necessariò sibi correspondenti ultra quod non potest se extendere, omnes effectus posibles; unde qui omnes illos ex vi visionis beatificæ attingeret, non posset non attingere ejus objectum adæquatum & necessarium, ultra quod progredi nequit, ac proinde non posset illam non comprehendere. At scientia visionis, ut respicit creaturas, liberè terminatur ad illas; & ita posset ipsa, secundum suam entitatem invariata permanente, ad plures alias ex libera Dei voluntate terminari, si Deus illas producere decrevisset. Unde ex eo quod cognoscantur omnia, ad quæ de facto se extendit, non bene colligitur talem scientiam comprehendere, siquidem eademmet possit ad plura alia objecta se extendere. Aliam solutionem & disparitatem dabimus in Tractatu de Incarnatione, quæ hujus argumenti difficultas plenius & facilius resolvetur.

**D** Objicies secundò: Comprehendere Deum, est cognoscere illum totum & totaliter: Sed beati videntes Deum, illum totum & totaliter cognoscunt: Ergo illum comprehendunt. Major constat ex supra dictis, Minor probatur. Quando dicitur quod comprehendere Deum, est illum cognoscere totaliter, vel ly *totaliter* dicit modum videntis, vel modum rei vise? Si dicat modum rei vise, Deus totaliter videtur, quia videtur sicuti est. Si verò dicit modum ex parte videntis, etiam hoc modo totaliter videtur, quia videns Deum, totâ suâ virtute & conatu illi videt: Ergo beati videntes Deum, illum totum & totaliter cognoscunt.

Respondeo concessâ Majori, negando Minor

**E** *Disp. 16. art. 3. §. 3. 30.*

rem, ad cuius probationem respondet D. Thomas hic art. 7. ad 3. *Quod ly totaliter dicit modum obiecti: non quidem ita quod totus modus obiecti non cadat sub cognitione, sed quia modus obiecti nō est modus cognoscentis. Qui igitur videt Deum per essentiam, videt hoc in eo quod infinite existit, & infinite cognoscibilis est: Sed hic infinitus modus non competit ei, vt scilicet infinite cognoscat. Sicut aliquis probabiliter scire potest aliquam propositionem esse demonstrabilem, licet ipse eam demonstratiuē non cognoscat.*

31. Dices, Beatus videns Deum, ipsum infinito modo cognoscit; nam licet lumen gloriæ elevans eum intellectum, finitum sit, essentia tamen divina, per modum speciei ipsi unita, & se habens ut principium formale agendi, infinita est per essentiam: Ergo videt Deum totaliter, non solum ex parte cognoscentis, sed etiam ex parte rei cognita, & adæquat in modo cognoscibilitatem divinam.

Sed nego Consequentiam: licet enim essentia divina concurrens per modum speciei ad visionem beatificam, infinita sit per essentiam, non participatur tamen ab intellectu creato perfecte, id est secundum totum posse, sed imperfecte, id est modo limitato, propter luminis gloriæ limitationem: unde intellectus beati, illa informatus seu actuatus, non elicit visionem beatificam, Dei intelligibilitatem adæquantem, nec ita perfecte divinam essentiam videt, sicut visibilis est.

32. Obijcies tertio contra secundam conclusionem. Probabile est quod possit de potentia absoluta produci lumen gloriæ infinite intensum: Sed intellectus creatus tali lumine elevatus, Deum comprehenderet; cum D. Thomas hic art. 7. ex eo probet non posse intellectum creatum Dei essentiam comprehendere, quia lumen elevans, dansque virtutem ad Dei essentiam videndam, finitum & limitatum est: Ergo saltem de potentia absoluta, intellectus creatus Deum potest comprehendere.

Respondeo negando Majorem, sententia enim affirmans posse de potentia absoluta dari lumen gloriæ infinite intensum, non est probabilis, sed evidenter falsa; nam lumen gloriæ infinite intensum repugnat, tum ex parte ipsius luminis, quia cum dicat essentiam finitam, non potest esse capax intensiois infinitæ; unde licet participet lumen divinum, debet illud finitō modo participare: tum etiam ex parte subiecti, quia cum inter perfectivum & perfectibile debeat esse proportio, subiectum finitum, quale est intellectus creatus, non est capax accidentis actu infinite intensi, licet sit capax accidentis infinite intensi in potentia, & sicut theologice, ut loquuntur Philosophi.

Addunt aliqui, quod licet admitteretur posse dari, lumen gloriæ infinite intensum, quia tamen non esset infinitum per essentiam, sed tantum per participationem, subindeque essentiam divinam in perfectione & actualitate non adæquaret, Deum non comprehenderet. Sed hæc solutio non videtur consona doctrinæ D. Thomæ: nam hic art. 7. ad probandum nullum intellectum creatum posse Deum comprehendere, sic discurreit: *Intantum intellectus creatus divinam essentiam perfectius vel minus perfecte cognoscit, inquantum majori vel minori lumine gloriæ perfunditur: cum igitur lumen gloriæ creatum, in quocumque intellectu receptum, non possit esse infinitum, impossibile est quod aliquis*

Tom. I.

A *intellectus Deum infinite cognoscat, unde impossibile est quod Deum comprehendat.* In quo discursu S. Doctor ut certum supponit, quod lumen gloriæ infinite intensum, Deum comprehenderet. Quia nimirum, si per impossibile illud daretur, cum ex uno impossibili, sequatur aliud impossibile, tale lumen deberet esse infinitæ immaterialitatis, & actus purus, sicut Deus; subindeque tantum habere de virtute cognoscitiva, & intellectiva, quantum essentia divina cognoscibilitatis & intelligibilitatis haberet.

Objicies quartō: De absoluta potentia intellectus creatus per intellectiōnem divinam, sibi sub ratione intellectiōnis unitam, intelligere potest: At intellectus creatus sic intelligens, comprehenderet Deum; cum enim increata Dei cognitio, unita intellectui creato, infinitæ sit actualitatis, adæquansque Dei cognoscibilitatem; & aliunde ab intellectu creato non procedat, non est cur lumini elevanti proportionanda sit, nec cur intellectum creatum non constituat comprehendentem Deum: Ergo de potentia absoluta, intellectus creatus Deum comprehendere potest.

Respondeo primō, negando Majorem, ut enim in Tractatu de beatitudine ostendemus, repugnat hominem vel Angelum increatā Dei visione beatificari, vel Deum per modum intellectiōnis ipsorum intellectui uniri. Item in Tractatu de Incarnatione demonstrabimus, intellectum Christi humanum, increatā Dei intellectiōne non potuisse intelligere.

Respondeo secundō, data Majori, negando Minorem: non minus enim est comprehensiva sui divina essentia, sub ratione verbi, quam sub conceptu intellectiōnis; & tamen de facto unitur mentibus beatorum, ut verbum, absque eo quod uniatu illi, ut est comprehensiva: Ergo pariter, quamvis divina intellectiō sit comprehensiva Dei, & licet unibilis esset intellectui creato, posset tamen uniri sub ratione cognitionis quidditati, cum repugnātia ut uniretur sub ratione comprehensionis, & ut intellectum creatum comprehendentem Deum constitueret: quia nimirum uniretur ipsi finito modo, & juxta capacitatem & proportionem potentiæ finitæ; sicut licet persona Verbi sit sancta per essentiam, & immediatē per seipsam sanctificet humanitatem assumptam, illam tamen sanctam per essentiam non constituit (quia talis sanctitatis humanitas capax non est) sed duntaxat per participationem, & gratuitam communicationem.

33. Cōfirmatur: Si intellectiō divina & increata posset uniri intellectui creato, & sic unita ipsum comprehendentem divinam essentiam denominare & constituere: cur etiam generatio quæ est in Patre, non posset uniri adæquatē cum intellectu creato, & reddere illum generantem, & Patrem Verbi Divini? Sed hoc absurdissimum est, & à communi Theologorum sensu penitus alienum; Ergo & illud.

Quod si dicas intellectum creatum, utpote finitum & limitatum, non habere debitam capacitatem & proportionem, ut hanc denominationem recipiat: idem dicam de comprehensione, non minus enim cōprehensio infinita petit principium infinitum sibi proportionatum, quam generatio Verbi. Imō major est perfectiō divinæ comprehensionis, quæ absoluta est, & absolutē infinita, & citra opinionem infinite perfecta, quæ generatio Verbi, quæ relativa est, & an dicat

X

perfectiorem vel non, sub opinione positum; ut rectè observavit Ildephonus Michaël, quaest. 12. art. 7. dubio unico.

## §. IV.

*Solvitur alia objectio.*

36. **O**bjicies ultimò: Ad comprehensionem non requiritur quòd modus cognitionis aut cognoscentis adaequet modum rei cognita, sed sufficit totum objectum cognosci, ita ut nulla ejus formalitas, nihilque in illo contentum eminenter, lateat cognoscentem: Ergo ruit præcipuum fundamentum nostræ conclusionis. Consequentia patet ex supra dictis, Antecedens probatur primò. Cùm nomen comprehensionis ex comprehensione corporea sit ad spiritualem translatum, id sufficit in cognitione, ut sit spiritualis comprehensio objecti, quòd sufficit in quantitate ut aliam quantitatem corporaliter comprehendat: Sed ut una quantitas corporaliter aliam comprehendat, non requiritur quòd ejus entitatem adaequet, sed sufficit quòd nihil talis quantitatis extra aliam reperiatur; auri enim sphaera v. g. perfectè potest à ferrea comprehendi, quamvis hæc ab illa in entitate excedatur: Ergo ad comprehensionem non requiritur quòd modus cognitionis aut cognoscentis adaequet modum rei cognita, sed sufficit totum objectum ita cognosci, ut nihil in illo formaliter vel eminenter contentum lateat cognoscentem.

37. Secundo, D. Thomas hic art. 8. & 3. p. quaest. 10. art. 1. ex cognitione omnium possibilium in Verbo, infert Deum fore comprehendendum: At si cognitio attingens omnia quæ in objecto formaliter & eminenter continentur, non adaequans tamen in entitate, vel modo, entitatem aut modum objecti, non esset illius comprehensio, illatio D. Thomæ non valeret: Ergo ad rei comprehensionem talis adaequatio non requiritur.

38. Tertio, Si requireretur talis adaequatio, sequeretur quòd Angelus superior non comprehenderet inferiorem, imò nec muscam, vel formicam, aut alias res sibi inferiores: Sed hoc videtur absurdum: Ergo & illud, Sequela Majoris videtur manifesta: cognitio enim Angeli superioris non adaequat in entitate & perfectione Angelum inferiorem, nec muscam, aut formicam; eo quòd cognitio sit accidens & qualitas, hæc verò objecta sint entitates substantiales: accidentia verò quæcumque præcipuè, si sint ordinis naturalis, non adaequant perfectionem substantiarum, præsertim earum quæ completæ sunt, & subsistentes; & minus earum quæ spirituales sunt, ut est quilibet Angelus, quantumlibet inferior: Ergo si cognitio comprehensiva debeat in sua perfectione adaequare perfectionem objecti comprehensi, Angelus superior non comprehendet inferiorem, imò nec muscam, vel formicam.

39. Denique, Sententia probabilis est, quòd Angelus inferior superiorem comprehendit: At modus cognoscentis aut cognitionis Angeli inferioris, non adaequat modum cognoscibilitatis Angeli superioris, cùm Angelus inferior non adaequet superiorem in ratione immaterialitatis, ad quam sequitur cognoscibilitas: Ergo talis adaequatio ad comprehensionem non requiritur.

40. Huic argumento, quòd est præcipuum fundamentum adversæ sententiæ, respondeo negando Antecedens, & ad primam ejus probationem, nego Majorem: licet enim nomen comprehensionis, ex corporea ad spiritualem translatum fuerit, po-

**A** test tamèn ad intellectualem comprehensionem aliquid exigi, quòd non requiritur ad corpoream; ad hanc enim non exigitur quòd circumscriptio fiat ex vi ejusdem quantitatis, nec quòd ambientur extrinseca ad quæ res comprehensa dicit habitudinem; & tamen ad intelligibilem comprehensionem utrumque necessarium est, nempe quòd ex vi ejusdem cognitionis, omnia in objecto cognoscibilia attingantur, ut fatetur Varquez, cujus est hoc argumentum. Pariter ergo adaequatio in immaterialitate, seu in modo cognitionis, & objecti cognoscibilitate, exigi potest ad comprehensionem intellectualem, quamvis ad comprehensionem corpoream similis adaequatio non requiritur.

**B** Ad secundam nego Minorem, ut enim patebit ex infra dicendis, non stat cognitio omnium possibilium in essentia divina, ita ut essentia sit ratio ea cognoscendi, absque eo quòd illa cognoscatur, quantum cognoscibilis est. Unde ex cognitione omnium possibilium in essentia divina, tanquam in causa, ejus comprehensio rectè colligitur, si non à priori, saltem à posteriori.

**C** Ad tertiam nego sequelam Majoris, & ad ejus probationem dico, ad rationem comprehensionis non requiri adaequationem absolutam seu entitativam cognitionis cum objecto; ita quòd cognitio sit substantia, si objectum substantia est; alioquin nulla substantia, posset comprehendi ab aliquo intellectu creato, cùm omnis intellectus creatus, omnisque illius cognitio, accidentia sint, sed sufficere adaequationem in propria linea intellectuali & cognoscitiva; hoc est quòd tanta sit cognitio in ratione cognitionis, quantum fuerit objectum in ratione cognoscibilis; ita ut si objectum fuerit cognoscibile demonstrabiliter, cognitio sit demonstrativa; si fuerit cognoscibile modo infinito, cognitio sit infinita in ratione cognitionis: unde cùm cognitio quæ Angelus superior cognoscit inferiorem, vel muscam, aut formicam, tanta sit, imò & multo major in ratione cognitionis, quam sint objecta illa in ratione cognoscibilis, comprehensiva est, quamvis objecta illa entitativè & materialiter non adaequet: è contra verò, cùm visio beatifica cujusque creaturæ existentis, aut possibilis, talem adaequationem cum essentia divina, utpote infinitè cognoscibili, habere nequeat, implicat Deum à quacunque creatura existenti vel possibili comprehendi.

**D** Addo cum Ildephono Michaële, proportionem & adaequationem requisitam ad comprehensionem objecti, debere pensari & attendi, penes ipsum intelligentem, & rem intellectam: v. g. inter ipsum Angelum & Hominem, vel Angelum superiorem & inferiorem; unde licet intellectio Angeli superioris, non adaequetur cum entitate Angeli inferioris; tamen quia hæc intellectio egreditur à subjecto & principio intellectivo æquali, vel superiori, Angelo inferiori, potest cognitio Angeli superioris comprehendere Angelum inferiorem; quia quamvis ipsa in sua entitate non adaequet objectum, adaequat tamen illud, ratione principij & radicis à qua egreditur.

**E** Hanc solutionem & doctrinam declarat & illustrat exemplò causæ efficientis principalis, quæ debet habere æqualem vel majorem perfectionem, quam effectus ab ipsa productus; & tamen actio quæ illum producit, utpote accidens, non adaequat perfectionem effectus, qui interdum est substantia; ut cùm homo generat alium hominem, vel cùm Sol producit aurum & gemmas in

visceribus terræ. Sicut ergo licet talis actio, ut-  
pote accidens, secundum entitatem non adæ-  
quet effectus illos, qui sunt entitates substan-  
tiales; quia tamen per modum productionis,  
quatenus hæc actio est reductio de potentia in  
actum, & exercitium quoddam virtutis activæ,  
æqualis, vel majoris perfectionis ac est effectus,  
fit quod hæc actio habeat sufficientem propor-  
tionem, ut causa principalis per illam producat  
principaliter effectum; ad hoc enim attendenda  
est perfectio principij à quo actio egreditur,  
non verò entitas accidentalis ipsius actionis. Ita  
similiter in præfenti, ut comprehendatur ali-  
quod objectum, attendendum est ad virtutem  
principij intelligentis à quo egreditur intelle-  
ctio, & quod reductur ad actum per intellectu-  
nem, & si ipsum est æquale vel superius res-  
pectu objecti, intellectio ab ipso producta &  
egressa, poterit esse comprehensio talis objecti,  
etiam si actio sit accidens, & objectum substan-  
tia. Sicut generatio, quamvis sit accidens, est  
principalis productio substantialis effectus, quia  
ipsa egreditur à causa principali, habente prin-  
cipium & sufficientem virtutem in ordine ad il-  
lum effectum.

44. Ad ultimam, datâ Majori, & admisâ pro nunc  
opinionem illâ probabili, quam in Tractatu de  
Angelis examinabimus, respondeo distinguen-  
do Minorem: Modus cognoscens aut cognitio-  
nis Angeli inferioris, non adæquat modum cog-  
noscibilitatis Angeli superioris, quantum ad  
rationem specificam immaterialitatis, concedo  
Minorem. Quantum ad gradum genericum, nego  
Minorem, & Consequentiam. Itaque jux-  
ta probabilem illam sententiam, quæ docet An-  
gelum inferiorem comprehendere superiorem,  
ad comprehensionem sufficit adæquatio in im-  
materialitate cognoscens cum re cognita, in  
gradu generico immaterialitatis; quæ æqualitas  
inter Angelum inferiorem & superiorem inveni-  
tur, cum uterque physicam materiam excludat, in  
qua exclusione gradus immaterialitatis angelicæ  
cõsistit. Quod an verum sit, loco citato examina-  
bitur. Licet tamen admittatur, non sequitur pos-  
se posse Deum à creatura comprehendere; quia hæc  
ad gradum divinæ immaterialitatis nequit per-  
tingere, cum consistat in ratione actus puri, ex-  
cludentis omnem potentialitatem; omnis verò  
creatura potentialitatem includat.

§. VI.


Corollaria notatu digna.

45. EX dictis inferes primò, rectè D. Thomam  
hic art. 8. colligere à posteriori, quod beati  
divinam essentiam comprehenderent, si in ea  
omnes creaturas possibles cognoscerent: licet  
enim comprehensio non consistat essentialiter in  
cognitione omnium effectuum, qui virtualiter  
in causa continentur, sed in adæquatione po-  
tentia cum objecto in immaterialitate, seu in eo  
quod tanta sit cognitio in ratione cognitionis,  
quantum fuerit objectum in ratione cognoscibi-  
lis, ut supra ostensum est; tamen non stat cog-  
nitio omnium in essentia divina, ita ut essentia sit  
ratio ea cognoscendi, absque eo quod illa cog-  
noscat, quantum cognoscibilis est, ac proinde  
comprehendatur. Sicut non stat cognoscere in  
principio omnes conclusiones virtualiter in illo  
contentas, & illud non cognosci quantum cog-  
noscibile est, etiam intensivè, ut rectè annotavit

Tom. I.

A Ferrariensis 3. contra Gent. cap. 56. & post illum  
Suarez lib. 2. de attributis cap. 29. num. 13. Hinc  
est quod apud SS. Patres, quos refert Petavius  
lib. 7. Theologicorum dogmatum, cap. 3. nomen  
comprehensionis frequentius explicari solet, per  
hoc quod est cognoscere in causa omnia quæ in  
illa virtualiter continentur, quàm per hoc quod  
tanta sit cognitio in ratione cognitionis, quan-  
tum est objectum in ratione cognoscibilis. Nulla  
ergo (ut objicit Herice in Tractatu de scientia  
Dei) est contrarietas in eo quod D. Thomas hic  
art. 7. asserit requiri ad comprehensionem, quod  
cognitio in perfectione adæquetur cum objecto,  
seu tanta sit in ratione cognitionis, quantum est  
objectum in ratione cognoscibilis; & tamen ar-  
ticulo sequenti docet sequi comprehensionem  
Dei ex cognitione omnium creaturarum possibi-  
lium in essentia divina tanquam in causa; hæc  
enim duo adco inter se connexa sunt, ut unum se-  
quatur ex alio; subindeque nihil mirum quod D.  
Thomas explicet comprehensionem aliquando  
unò modò, aliquando aliò.

B Inferes secundò, Deum quatuor modis posse  
dici incomprehensibilem: scilicet loco, tempore,  
intelligentiâ, & amore. Loco, quia à nullo spa-  
tio vel loco creato aut creabili circumscribi po-  
test; sed ut ait Dionysius: *Omni magnitudini ex-  
trinsecus superfunditur, & supra expanditur.*  
C *omnem complectens locum, omnem excedens nume-  
rum, omnem transiens infinitatem.* Tempore,  
quia omnia excedit tempora, & ut loquitur idem  
Sanctus, *est omnium ævum & tempus, ante dies,  
ante ævum, ante tempus.* Cognitione, quia ut  
suprà ostensum est, nullus intellectus creatus &  
creabilis, potest ipsum cognoscere, quantum  
cognoscibilis est. Denique amore, quia omnem  
amorem excedit, ita ut nulla mens creata ipsum,  
pro dignitate, aut beneficiorum quæ nobis con-  
tulit multitudine, & magnitudine, amare possit.  
Unde egregiè Bernardus: *Cum ei donævero quid-  
quid sum, quidquid possum, nonne istud totum est,  
sicut stella ad Solem, gutta ad fluvium, lapis ad  
montem, granum ad acervum? Non habeo nisi minu-  
ta duo, imò minutissima, corpus & animam, vel  
potius unum minutum, voluntatem meam; &  
non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus  
tantillum tantis beneficiis prævenit, qui totum se  
toto me comparavit?* Prima incomprehensibilitas  
competit Deo, ratione immensitatis. Secunda,  
ratione aternitatis. Tertia, ratione infinitatis, &  
summæ immaterialitatis. Quarta demum, ra-  
tione summæ bonitatis & pulchritudinis.



DISPUTATIO V.

De objecto visionis beatificæ.

CVM actus specificentur ab objectis, non  
potest plenè & perfectè cognosci actus  
beatificæ visionis, nisi exponantur obje-  
cta quæ per illam attinguntur. Hæc autem dupli-  
cis sunt generis: quædam enim sunt in Deo for-  
maliter, ut essentia, attributa, & relationes;  
alia solum eminenter, ut creaturæ possibles,  
existentes, vel futuræ, de quibus in hac disputa-  
tione agendum est, & breviter discutiendum, an  
& quomodo, hæc objecta per visionem beatifi-  
cam cognoscantur.

X ij